DISPUTATIO INAUGURALIS

De

ACTORUM LECTIONE ET RELATIONE,

NEC NON

SENTENTIARUM EXILLIS CONCEPTIONE,

Quam

Secundante Ter adoranda Triade,
Ex Decreto atq; auctoritate Magnifici JCtorum
in Illuſtri VARNIACA Ordinis,

PRÆSIDE

VIRO Nobiliſſimo atq; Excellentiſſimo

DN. JACOBO SEBASTIANO LAUREMBERG. JCto, & Anteceſſore Celeberrimo, Ducal. Conſiſt. Adſeſſ. graviſſimo, p.t. Decano Spectabili

Promotore ac Patrono meo ætatem venerando,

Pro Doctoralibus in utroq; Jure honoribus ritè ac ſolenniter conſequendis
publicæ Juriſperitorum ventilationi committo

JOHANNES MITZEL, Straleſundenſis.

In Auditorio Majori, Horis ante & Pomeridianis d. 3. Octobr. An. 1667.

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Acad Typ. Anno 1672.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Q. S. S. T. B. V.

TITULUS I.

Continens προθεωρίαν ad ipſam Tractationem.

§. 1.

EST aliquid, fateor, *ſcire leges*, ipſarumq; involuta ſubtili indagine texere, retexere ænigmata; ſed auguſtum JCti munus nequaquam anguſtis hiſce circumſcribitur cancellis. Scilicet, illa demum vera eſt Jurisprudentia, quæ dextrâ depuratæ mentis acrimoniâ *Jura factis applicare, & de illis rectum ferre Judicium* pernoſcit.

§. 2. Hæc, inquam, illa germana eſt & *non fucata Philoſophia*: hæc illa eſt ambitioſa *rerum divinarum humanarumq; notitia*: hæc ſacratiſſima illa *juſti atq; injuſti ſcientia*: hæ ſunt veræ illæ *religioſiſſimi Juſtitiæ Sacerdotis* & propriæ partes. Hæc demum illa ſacra eſt *in proprio & ſanctiſſimo Juſtitiæ templo* propoſita meta; hic, aut nullibi JCto ſubſiſtendum.

§. 3. Usq; adeò, ut quemlibet ſeriò demirari neceſſe ſit, quî factum, quod in tantâ turba Scriptorum, quibus noſtra Jurisprudentia tantum non obruta, non minus ac olim Juſtiniani ævo graviter nunc quoque laborare videatur, tam pauci ex omni ævo, nobiliſſimum hoc argumentum dignè pertractare, ne quidem moliti ſint.

§. 4. Quæ me quoq; potiſſimum ratio movit, ut in præſentiarum preſſius quidem, ſed tamen paucis, definitisq; ab inclyta noſtrate Juridica Facultate pagellis, hoc præprimis argumenti genus, pro exiguis ingenii mei viribus, diſcutiendum ſuſciperem, reſervatâ ejusdem exactiori plenioriq; expolitione, pleniori exactioriq; otio.

§. 5. Et

§. 5. Et proindè cum omnia, quæ quidem huc facere ſingularia, uniformemq; methodum conſtituere poſſunt, tum *ob fæcundam rerum naturam, quæ nunquam non ſuas novas edere deproperat formas*; tum ob diverſisſima hominum ingenia, quibus ferè ſingulis ſuus, ut aliarum, ſic hujus quoq; rei tractandæ placet ordo, nullo, nec vaſtiori quidem opere, nedum exiguâ hac chartâ concludi queant, iſta quoq; à me nunc quidem exſpectet nemo.

§. 6. Planè, ſi quæquam ſane hæc præcepta, non tam argutè perſcribi, quam ipſo opere dextrè præſtari oportet. Cumq; non magis Curiæ *per vulg.* norint jura, quam Academiæ, curioſæ LL. Ddq; allegatione jam ſuperſedebo, non oſtentationi, ſed exercitationi, hoc quicquid eſt, ſcripturus.

§. 7. Ne tamen absque ullo ordine in arduo hoc negotio ferar incompoſitus, methodum, quam ipſa rei natura ſuggerit, impune ſeqvi me poſſe puto. Et ergò, cum omne hoc nobilisſimum *applicandi Juris ad facta* negotium, præprimis in rectâ *Actorum* (ſive illorum, quæ apud Jus dicentem, ex controverſiâ partium ultro citroq; geſta & fideliter conſignata ſunt) *Lectione, Relatione* juſtâque *ex illis Sententiarum conceptione* conſiſtere videatur: Acta porrò illa pro diſtinctis Judiciorum gradibus, aut *in primâ*, aut *ſecundâ, ulteriorive inſtantiâ* ventilata reperiantur, priusquam *in ſpecie* ad ſingula, ſuo ſeorſim modo tractanda, accedo, quæ *in genere* huc pertinere videntur, præmittam, ita per ſubſequentes tres titulos omnem hanc finiturus opellam.

§. 8 Antè tamen omninò operæ pretium duxi notare, omne hoc, circa quod nunc verſor, negotium, olim hodieque *Relationis*, perſonasqve iſtud expedientes, *Relatorum*, & communius *Referentium* ſive *Referendariorum* appellatione deſignatos fuiſſe. Licet, haud ignorem, haſce vocum acceptiones, pro variâ Referendarii muneris apud veteres conſtitutione, etiam variaſſe.

§. 9. Quâ de re nunc cum non ſim ſolicitus, omne hoc, quod intendo, negotium, *Relationis*, & perſonas circa iſtud ſe occupantes, *Referendariorum* nuncupatione complectenti, mihi jam erit *Relatio*: Litis à controvertentibus Partibus in Judicium

deductæ,

deductæ poſt accuratam Actorum lectionem atqve examinatio-nem, ſive ore ſive ſcripto, facta narratio, cum adjunctâ ſuper propoſito caſu narrantis ſententiâ: illeque mihi erit *Referendarius*, qui id ipſum rectè præſtat.

§. 10. Perinde autem nunc quidem mihi eſt, an quis ejusmodi provinciam, ex ſpeciali ſuperioris Magiſtratus conceſſione propriam perpetuamve habeat, quod fieri alicubi bene novi; an vero juſſione aut diſtributione Præſidis, Adſeſſorumve Judicalis alicujus Collegii, ipſi Adſeſſores, quod & communiori, & meliori praxi fieri arbitror, in cauſis peculiariter ipſis concreditis, eandem tueantur.

TITULUS II.
Quæ in genere in Referendario requirantur.

§. 1. Eſto Referendarius noſter ante omnia ſtrenuus, absque fuco & colore alio, defecatæ pietatis cultor, qui non ſolum illa *Imperat. Juſtini* bene ſciat, ſed & firmiter credat: *quod dum per ſuum officium alios judicet, ipſe à ſupremo Numine judicetur: quodque adeò ipſi magis, quam Partibus Judicium eſſe debeat terribile: Siquidem litigatores ſub hominibus, ille verò Deo inſpectore adhibito, cauſſas proferat trutinandas* Er ſoll glauben / daß in der Stunde / darinnen er andere richtet / Er von GOtt gegenwärtiglich ſelbſt gerichtet werde / ut piè monet Sereniſſ. in Boruſſiâ LLlator.

§. 2. Eſto porrò legum omnisqve adeò juris, in quo ſuum exerciturus eſt munus, peritiſſimus, & quousque ipſa ſvadet æqui bonique ratio, *quam ſemper ante oculos habere debet.* tenaciſſimus. *Semper timens ac tremens in omni negotio formidet, ne de juſtitia tramite devians cadat:* nec enim cerebrinam potius æquitatem, quam exacta ſequatur, ſi adſint, Legum præſcripta: Er ſoll ſeinem Ambte getreulich vorſtehen / nach gemeinen beſchriebenen Rechten / Ehrbaren Statuten / Begnädigungen und Gewohnheiten / wie dieſelbe vorkommen / ſeinem beſten Wiſſen und Gewiſſen nach / Männiglich / Hoch- und Niederſtands Perſonen / ohne Unterſcheid gleich urtheilen. *Uti communis habet Juram: Form.*

 §. 3. Et

§. 3. Et ergò, non præcisè & ſimpliciter, *ſecundum conſcientiam tantùm* ſententiam, cum opus eſt, formet: cerebrina enim tum noſtra erit, non legalis Juſtitia: præſertim cum non ſolum pro innata per naturam, ſed & adſcita per adſvefactionem, hominum indole, conſcientiam apud alium mage dilatari, apud alium arctiùs adſtringi, & Philoſophi ſaniores atteſtentur, & quilibet, qui non heri aut nudius tertius demum hoſpes in hanc Mundi ſcenam prudiit, advertat.

§. 4. Sed nec *ſecundum Acta & Probata tantùm* ſententiam concipiat: quid enim ſi partes ipſarumve Patroni, ſive in *Jure* rectè deducendo, *ſive in facto* rectè adſtruendo quidquam neglexerint? Sanè utraque, ſi ulla id fieri poſſit ratione, ut à Judice, ita & à Referend. ſupplenda eſſe, quidquid alii contradixerint, defendam.

§. 5. Sed an igitur *ſecundum leges tantum?* nec hoc ita abſolutè. Sic enim ſummum jus, ſumma ſæpe erit injuria. Et quid ergo tandem? Sic ſentio. Judicet Referend. *ſecundum conſcientiam ex accuratâ Actorum Lectione & examinatione, nec non exacta Legum cum illis comparatione* ſimul *informatam:* utroque enim ſubſidio niſi ille erit ſuffultus, nunquam rectè ſuo defungetur munere, ſed *à Dei judiciis ob id ipſum, propter quod juſtificandus erat*, ſi id rectè perfeciſſet, tremendum! *contemnabitur.* Sed hac de re infra latior erit locus differendi.

§. 6. Caveat autem præprimis, ne ad Acta præconceptam jam ex ſiniſtra adfectuum, vel *μονόπλευρα* Partium ſuggeſtione adferat, ſententiam: ſed eandem ex Actis, poſt attentam lectionem, ſolicitam cauſſæ controverſæ disquiſitionem, denique dextram legum applicationem, prout religio ipſi ſuggerit, conformet conformatam ante publicationem nequaquam, nec per ſe, nec per quemcunque alium, quibuscunq; id fieri poſſit artibus eliminet: unde quoque in benè conſtitutis Judiciis, ſumma ſolet celari fide, cui adferendum Acta ſint tradita.

§. 7. Infenſiſſimus quoque omnis ſordidæ δωροφαγίας, exitioſæ, προσωποληψίας, cæterorumque, quæ quomodolibet rectum pervertunt Judicium, idem eſto hoſtis: neque cauſſis illorum, quibus vel cognatione affinitatevè conjunctus, vel

ſimultate

ſimultate odiove disjunctus, ſuum accommodet officium, ſed ſponte id ſuâ declinet, ſciturus, quod ſi litigantes contra ipſum tanquam ſuſpectum exceperint, ipſi etiam absque ordinario exceptionis libello, ſola allegatione, benigne audiantur.

§. 8. *Ingenium* quoque habeat generosâ mediocritate excitatum & quod hodiè dicere ſolemus, *Practicum*. Ignea enim, nimisque ſubtilia ingenia, aut ad præcipitandas, aut ad novandas res ut plurimum abripiuntur; contra tarda atque meticuloſa ſcrupuloſitate palpitantia, ſi non immortali, ſaltem diuturnæ litium protelationi incumbunt.

§. 9. *Memoriam* habeat *vegetam*, inprimis ſi ore, quod haud pauca obſervant judicia, Relatio ſit facienda: ſæpe enim acta ſunt ingentis molis, quam plurimus annorum concurſus multis congesſit voluminibus, adeò ut omnium illorum fideli ſemper recordatione meminiſſe, interdum magis divinatis ſit, quam humanitatis. Præſertim verò firmæ memoriæ beneficium requiritur in iſtâ parte Actorum, quæ probationum reprobationumque continent velitationes, quippe in quibus etiam exercitatisſimis nonnunquam negotium facesſitur.

§. 10. Ad hoc verò eò rectiùs expediendum, omnemque hoc quoque in parte litium telam præcidendam, cordatiores quique *oralem* illam *Relationem* rejiciunt, contra illam, *quæ inſcriptis fit*, gravisſimis rationibus commendant. Quorum ſententiam, præprimis quoad majoris momenti cauſas, nunc quidem & ego tuebor.

§. 11. Plura ejusmodi generalia hic poſſem accumulare præcepta; ſed cum non ſolum iſta pleraque, ſed & longè plura, magnâ copiâ, *de Officio Judicis*, quæ ferè omnia ſibi quoque Referend. dicta exiſtimet, à Max. JCtis collecta pasſim extent, hæc quidem nunc mitto, unicum hoc, *quo Imperat. Juſtinianus* cuncta penè Referendarii requiſita complexus eſt, ſubjiciens: *Scilicet, omnia ſecundum legum præſcriptum ipſum agere oportet, utentem in cognoſcendo æquitate, in rebus gerendis puritate, quâ nihil inter homines unquam extitit robuſtius aut pulcrius, quoq; Deum hominesque conciliare magis posſit.*

TITU-

Quænam Referend. *in ſpecie*, circa civilium pariter & criminalium *in prima Inſtantia* ventilatorum Actorum Lectionem, Relationem, Sententiarumque ex iisdem conceptionem, attendenda.

§. 1. Poſtquam tùm prædictis virtutibus omnibus, tùm inprimis hoc propoſito Referend. ad ACTA LEGENDA, ſe accinxerit, ut qui non niſi *Deo teſte atque inſpectore*, ſecundum conſcientiam ex Actis & Legibus *ſimul* informatam, ſententiam concipere velit: Acta jam à capite ad calcem, quantâ id unquam ab ipſo mentis intentione fieri poſſit, perlegat; cancrinam illam retroque ab Actorum concluſione cœptam lectionem, penitus damnet; neque minus illam, quæ deſultoriâ levitate, modo ad hanc, modo illam Actorum partem tumultuariè devolat, rejiciat. Nimirum, certi ſunt cujuslibet proceſſus ordines, qui tanquam annuli in catenâ cohærent, quorum ſi unus fuerit evulſus, cæteri deficiunt.

§. 2. Sed an igitur omnia, quæ magno molimine à Partibus ipſarumve Patronis accumulare ſolent, *allegata* ſtrictè perlegere tenetur? Si *allegata* illa *in Facto* recte adſtruendo conſiſtunt, ad illa accuratè ponderanda omnino tenetur. Omnis enim *ex facto* juris exiſtit deciſio, primariæque Judicantium ſunt partes in facto recte inquirendo. Quod vero *allegata Juris* attinet, cum plerumque non tam veritatis, quam vanæ oſtentationis, aut ſaltem, ob deſperatam cauſæ victoriam Judicis verſutè ſeducendi gratiâ certatim congeri ſveverint, illa quidem, inprimis *ſi jam tùm ex Actis, ſive æquitas, ſive iniquitas cauſſæ pateſcit*, ſecurè præterire poteſt. Jura enim per ſe, etiam abſque Partium allegatione Judex, & proinde noſter quoque Referend. ſcire præſumitur.

§. 3. Si verò *cauſſa ſit dubia*, tunc tutius fore arbitror, ſi & iſta *juris allegata* diligenter evolvat, inſtitutoque deſuper examine, quænam ſententia melior jure nitatur, exquirat: idque inprimis ipſum facere oportet, *in allegationibus Juris* ſive à Facultatibus, ſive aliis quibuscunque collegiis & Dd. petitis. Quam miſerè enim ut plurimùm, ad unius tantùm Partis inſtantiam, talia Reſponſa emendicentur, quamque ſiniſtrè, ne dicam perſidè, ſive per calumniam, ſive per ignorantiam, non attentis circumſtantiis cauſſarum, illa Doctorum hodiè plane amplius non neceſſitans auctoritas, à litigantibus ipſarumve patronis jactetur, imò & interdum, ringente licet Juſtitiâ, per iſtam judici obrepatur, teſtem laudo cotidianam praxin.

§. 4. Ne itaque *tantorum Nominum* auctoritate confundi ſe patiatur Referend. idque multo adhuc minus, ſi Acta ſe ipſi objiciunt referta *Brocardicis* illis *generaliſſimiſque regulis atque axiomatibus*. Ita enim plerumque hodie uſu venire ſolet, ut, quo deſperatior cauſſa, quo rudior cauſſæ Patronus, eo frequentioribus talium Brocardicorum grallis ſtolidè ingrediatur: turpiter exiſtimans, iisdem collyriis ſe poſſe omnes Litigaturientium curare oculos. Proinde, ſiquid operæ Referend. iſtis impendere velit, ſaltem *per ſimplicem ſyllogizandi modum*, tales regulas ad *Factum* ſive *cauſſam controverſam* ipſiusq; circumſtantias propius applicet: quâ applicatione factâ, iſtæ dias evaneſcent luminis in auras.

§. 5. Prima verò omni in *Actorum lectione*, atque potiſſima Referend. cura ſit, ut *ad Cauſſæ controverſiæ* ſive *Facti principalis* (interdum & *incidentis*) ſpeciem rectè penetret. Ex *facto* enim, Actoris non minus ac Rei, eluceſcit intentio, omnisqve, ut jam dixi, prodit deciſio juris. Tum haud minori ſolertiâ *competentis* pro tali facto *actionis* naturam inveſtiget. Hoc enim *certum illud actionis genus* in omni fere proceſſu habet ſingulare, ut tam judicantibus, quam litigantibus, in quâcunque Judicii parte, ad illud, tanquam ad ſuam Cynoſuram ac Helicem ſit reſpiciendum, adeò, ut ſi illud temerè neglexerint, non poſſint non utrique, ad periculoſiſſima Injuſtitiæ brevia atque Syrtes,

cum funeſtisſimâ conſcientiæ, juris, bonorumque ſuorum jacturâ allidere. Ampliter hoc debebam diſcutere, ſed inſtituti ratio vetat.

§ 6. Sed hæc non eâ mente hîc propono, ac ſi circa *Lectionem Actorum* priori loco magis ad *merita cauſſæ*, ſive ad materialia proceſſus, quam ad ipſius formalia attendere Referend. vellem. Verum eam ob cauſſam, iſta ante omnia monenda duxi, ut Referend. haberet, cui præprimis circa *Actorum lectionem* inhærere & ad quæ cætera referre debeat.

§ 7. Aliàs me haud latet, ſive Partium craſsâ ignorantiâ, ſive inconſulta negligentia aut temeritate, quoad *formam proceſſus*, quid peccatum ſit, quod tum nequidem illa, quæ ad *materialia ipſius*, ſeu cauſſæ materia ſpectant, ſubſiſtere posſint, quantumvis ipſa cauſſa ſua bonitate ſubnixa, ſi absque vitio prôceſſus fuiſſet, per ſe obtinuiſſet. Quapropter ſi *nullìter* Partes *in formalibus* proceſſerint, de *materialium* deciſione prius laborare Referend. haud debent, niſi competenti remedio, ſi ullo id fieri posſit posſibili modo, vitium proceſſus fuerit purgatum.

§. 8. Et proinde, jam procedente *Lectione* primo omnium *ad formam Proceſſus* attendat Referend. ipſiusque obſervet. I. *Ingreſſum* ſive *præparatoria*, ut dici ſolent. II. *Progreſſum* ſeu *Proceſſum ipſum* III. *Egreſſum*, ſive *in cauſſa Concluſionem*. Quoad *Ingreſſum*, priori loco ad *Judicantis* Perſonam reſpiciat, ut an ipſius Jurisdictio, vel *ex Jure communi*, puta 1. ratione Domicilii ipſius Rei. 2. Rei ſitæ. 3. Delicti commisſi. 4. Contractus initi. 5. Continentiæ cauſſæ, vel *ex ſingulari aliqvo Privilegio*, ſive cauſſæ litigoſæ, ſive perſonæ litigantis &c. recte fundata ſit, cognoſcat.

§. 9. Tum ad *Litigantium* quoque perſonas reflectat, notando, an ſcilicet illi per ſe, aut per alios, & ſiquidem per alios, an cum, vel ſine Mandato, eoque vel legitimo, vel illegitimo, cum, vel absque ſatisdatione, ritè, aut non ritè citati, in judicio vel rectè, vel non rectè, aut planè non comparuerint &c. Und was ſonſt zu einer vollkommen / und den Rechten auch üblicher Obſervantz eines jeglichen Ortes gemäſſen Beſtellung der præparatorum Judicii gehörig iſt.

§. 10.

§. 10. Circa *Progreſſum* ſive *Proceſſum ipſum* 1. obſervet, an *Libellus* aptus, aut ineptus, alternativus, an ſimplex, clarus, an obſcurus, generalis, an ſpecialis (quamquam juxta quarundam Curiarum ſtilum, ubi ſingularis nulla pro impetrando proceſſu præcedit petitio, hæc examinatio libelli ad præparatoria litis referri posſit) 2. an *Exceptio* contra illum, aut ipſius intentionem oppoſita, & qualis illa, an peremptoria, an dilatoria, an relevans; aut irrelevans &c. 3. an *Litis conteſtatio* à Reo, ſive affirmativè, ſive negative facta. 4. an ipſi ſubjuncta, aut ſeorſim inſtituta à Reo fuerit contra Actorum *Reconventio*, & an illa cum principali Actoris cauſſa ſeu intentione quadamtenus connexa ſit, nec ne: & hîc quoque rectè inquirat, an *Juramentum calumniæ aut malitiæ* etiam à Partibus præſtitum &c.

§. 11. Porrò quoque 5. an *Litis denunciatio*, alteriusve *Interventio* acceſſerit nec ne 6. an *Probatio* aut *Reprobatio* Partium inter terminos probatorios, per *Teſtes*, aut per *Inſtrumenta*, publica vel privata &c. legitimè ſit facta: & ſi 7. per *Teſtes*, an illi admisſibiles, aut minime tales; ſique admisſibiles, an illi jurati, confectisque de ſuper *Articulis*, ex Libelli viſceribus petitis, nec non licitis & ad cauſam ipſam pertinentibus *Interrogatoriis* ritè examinati :8 an Partes jam pro cauſæ exigentia, *Allegationibus* ultro citroque impoſterum faciendis *renunciaverint*, atq; ita, vel ſuâ ſponte, idque ſive *eventualiter* ſive *finaliter*, vel interpoſiti Judicis auctoritate ſententiæ ferendæ locum fecerint, an nondum &c.

§. 12. Circa *Egreſſum* ſeu *Concluſionem in cauſsâ*, cumque jam partes concipiendæ publicandæque poſtmodum ſententiæ ut jam monui, rem omnem ſubmiſerunt, non ſolum an *Collatio*, ſive (ut alibi eadem vocatur) *Irrotulatio Actorum*, præſentibus Partibus & ad hunc Actum ſpecialiter citatis, præceſſerit, attendat; Sed & diligenti ſcrutatione ſecum habitâ expendat, an adhuc ulteriori Partium declaratione aut informatione indigeat. Et enim, cum nunquam *regulariter* Judici in cauſa ſit concluſum, caveat, ne tam inconſultâ nimisque præproperâ feſtinatione ad ſententiam definitivam præcipitetur, quin, ſi id neceſſum eſſe exiſtimet, ulteriori Partium deductioni per Interlocutoriam locum faciat.

§. 13. Sic *Formalibus Proceſſus* excuſſis, nec vitio in illis deprehenſo, aut verò iſto jam competenti remedio purgato, *ad Materialia* quoque illius, ſive *cauſæ merita* advertat, intentius jam in ipſam *cauſæ ſive facti controverſi ſpeciem* inquirens: neque ipſius duntaxat particulam; ſed omnes omnino partes, cum omnibus temporis, rerum, perſonarumque circumſtantiis, quantâ id fieri poteſt curioſitate, rimetur: nec enim unquam quis rectè ſcivit, quod Jus, quæve Actio cuique competeret, niſi *facti* ſeu *caſus controverſi* penitisſimam habuerit cognitionem.

§. 14. Inprimis verò ad talem cognitionem rectè conſequendam, præter alia, proderit, ſi Referend. exploret, *ad quam negotiorum claſſem* caſus controverſus redigi debeat; an nimirum quaſi, vel verus ſit contractus, & ſi talis, an bonæ fidei, an ſtricti Juris: an verò ſit delictum vel quaſi, quæque ſit illa, quæ tali negotio primam dederit cauſam, an illa principalis, an incidens: & ſi ad illa talia caſus referri nequeat, an tum ad rerum Dominia, ſive quamcunque aliam nominatam aut innominatam Juris formam reduci posſit: Et hoc quidquid eſt cognitionis, modò ex Libello Actoris, modò, idque oppido frequenter, ex omni Actorum parte patendum.

§. 15. Et quid itaque, ſi procedente *Actorum lectione* atq; *examine*, cauſa ſive factum controverſum, vel propter varios, quos implicatos habet contractus, vel quaſcunque alias cauſſas *multiplex* appareat? Si tale *jam ante litis conteſtationem* fuerit, ad principale negotium, primariamque Partium intentionem Referend. reſpiciat; ſi verò propter illa, *quæ poſt litem demum conteſtatam* incidenter ſupervenerint, tale extiterit, cum ejusmodi involuta varietas, neqve libello contineatur, neque lis ſuper illa fuerit conteſtata, *regulariter* attendi haud debet. Sitque adeò Referend. pro regula: quod omnia quæ neque Libelli declarationem aut adſertionem, neque litis conteſtationem reſpicientia, à Partibus in Actis inutiliter admixta fuerint, ſecurè & legendo & referendo præterire posſit.

§. 16 Sic

§. 16. Sic rectè naturâ *cauſæ controverſæ* exploratâ, jam quâ *Actione* fuerit actum Referend. obſervet: nec hic tam *de nomine* Actionis, quam *quo jure* illa rei litigoſæ conveniat, ſit ſolicitus. Si enim aut nulla, aut facto controverſo inconveniens Actio fuerit ab Actore propoſita, etiam Parte non opponente, ipſo Judicis officio, agens repelletur.

§. 17. Pateſcit autem Actio intentata, non ſolùm ex rectè indagatâ *facti controverſi* naturâ, ſed & inprimis *ex Libelli concluſione*, quippe in qua totius Libelli anima adeò conſiſtit, ut, licet *narratio* caſus controverſi ineptè fuerit facta, ſi tamen aptè riteque illata concluſio, hæc Libellum ſuſtineat: hæc ſola enim omnia in Libello contenta ampliat, modificat atque reſtringit: & contrà, ſi concluſio rectè non ſit formata, neque Actionem ritè & concludenter illatam eſſe, & proinde agentem nulliter proceſſiſſe, *ordinariè* certum eſt; niſi fortean huic vitio Actor clauſulæ cujusdam (ut dici ſolet) ſalutaris adjectione præcaverit: per hanc enim omne remedium competens: & ex narratis reſultans, deduxe in Judicium cenſetur, licet id directè non fecerit.

§. 18. Sed quia interdum *cauſſa controverſa* ita ſe habere ſolet, ut plures pro illa Actiones competant. Referend. illam potisſimùm ex omnibus, quæ Parti utilior, quæque ex narratis aptius colligi posſit, eligat: iſtam enim *in dubio* Pars propoſuiſſe videtur. Perinde, ut illam quoque tantùm actionem, quam ineunte proceſſu, Actor in Libello propoſuit, & ſuper quâ lis conteſtata eſt attendere debet: neglectis omnibus illis, quæ aut prius Actionis genus mutare, aut novum prorſus inducere voluerunt. Nec enim Agenti ab una Actione, ad aliam temere tranſilire conceſſum eſt: ſed iſtâ viâ, quâ cepit, ad finem usque litis incedere tenetur niſi, refuſis antè Adverſario retardati proceſſus expenſis, novo planè Judicio procedere idem maluerit.

§. 19. Deprehenſo jam *certo Actionis genere*, quænam *Eſſentialia* ipſius ſint *requiſita* Referend. ſcrutetur: & an illa ſimul cum omni reliquâ Actoris intentione, per totum Proceſſum, ſive Legibus ſive Rationibus (ubi nimirum controverſia *de caſu Juris*, aut ubi *de facto*) ſive propriâ Confesſione, ſive per Teſtes admisſibiles,

ſibiles, Juratos atque ritè examinatos, ſive denique per Inſtrumenta, aliosve modos, *vel plenè vel ſemiplenè probata* inveniantur, ſolicitè inquirat: neutrum enim ſi appareat, Referend. vix Rei defenſionem, niſi majoris certitudinis gratia, examinare, ſed ipſum, etiamſi nil quidquam præſtiterit, abſolvere tenetur. Quamquam & quædam intentatæ Actionis requiſita ita comparata ſint, ut, licet directè ab Actore probata non fuerint, ex Juris tamen præſumptione, quæ *regulariter* ab onere probandi relevat, tamdiu probata cenſeantur, donec à Reo contrarium adſtruatur: id quod omne Referend. dextræ dijudicationi ſubjectum eſto.

§. 20. Tandem *Actoris* intentione factisque pro illa probationibus accuratè penſitatis, non minori quoque curâ in Rei *Exceptionem*, aliamve ipſius *Defenſionem* inquirat. Etenim ſi illius *Exceptio* jure erit fundata, riteque quam objecit Actori, *Defenſio* probata, non obſtante Actoris probatione, Reus erit abſolvendus: nec enim ex Actoris magis, quam Rei perſona in iſtiusmodi caſibus, jus ferè omne metimur. Benè tamen hîc Referend. notet, an Reus, æque ac Actor, ſuam intentionem legitime probaverit. Nam ſi probationibus vicerit Actor, hujus erunt favorabiliores partes, quam Rei; Si verò utrinque Probationes adductæ fuerint æquales, Reus benignius experietur Judicium ac Actor. Sed de hoc argumento, & quomodo in omni Probationum, Reprobationumque negotio rectè tum Partibus inſtituendo, tum Judicantibus examinando, procedendum, integra extant Dd. Volumina, mihi hîc non exſcribenda.

§. 21. Et ita quidem, tam *Civilium*, quam *Criminalium* cauſſarum Acta legi atque examinari debent: niſi quod in *Criminalibus* quædam, licet pauca, *ſingularia* adhuc veniant notanda, quæ diligens proceſſus criminalis manifeſtabit evolutio: ſic ex. gr. in *Libello criminali* ſingulare eſt, quod per ſolam facti rectè inſtitutam narrationem, etiam absque concluſione ſuſtineatur. Sic in Proceſſu Criminali *Inquiſitorio*, nulla *ſolenniter* facta requiritur litis conteſtatio, ſed ſufficit qualiscunque ad Articulos Inquiſitionales reſponſio, perinde ut in cauſis ſummariis regulariter omnibus.

§. 22. Sic

§. 22. Sic porrò quoque, licet in omnibus promiſcuè cauſis probationes evidentes eſſe debeant, in *Criminalibus* tamen eaſdem luce meridianâ clariores eſſe oportet. Sic quoque in illis, præprimis ad *Corpus delicti*, ſingulasque ejus, etiam minimas circumſtantias, ritèque ſuper illis factam *Obductionem* Germ. die Beſichtigung / nec non delinquentium *Confrontationem*, *Confeſsionem* ſive *ſpontaneam*, ſive *per torturam expreſſam*, eamque vel conſtantem, vel variantem, eſt reſpiciendum: plura hîc quidem addenda; ſed manum de tabula!

§. 23. Qvamquam jam *quoad Lectionem*, ſatis & ſuper Referend. inſtructum putarem: ne quid tamen prætermittam *de Tempore & Loco* Acta legendi, paucula ſubjicio. Scilicet, omne Tempus lectioni Actorum commodum eſſe arbitror, quo animus legentis neque adfectuum perturbatione, neque corporis imbecillitate, aliâve ad res agendas ineptitudine præpeditus, quam maximè excitatus exiſtit. *Dominicis* quidem *Feriis* & *de Nocte* quidam Dd. Acta rectè legi negant: verùm tales hîc obices liberrimo Referend. arbitrio poni nolo.

§. 24. Sed quænam *Acta priori*, præ reliquis, tempore, Referend. legenda? illa *regulariter*, quæ ipſi poſt *Concluſionem in cauſâ* priori loco ad Referendum ſunt tradita, niſi forſan Acta talium ſint cauſſarum, quæ aut ipſo jure *ſummaria*, aut *ſpecialiter*, quoad proceſſus maturationem *privilegiata*, aut denique tales, in quibus periculum atque metus circa omnem verſantur moram: ſed cum ſingula hæc, ob infinitam rerum cauſarumve varietatem, certis includi nequeant regulis, judicio ſive Referend. ſive *Iſtius*, qui Acta ipſi ad Referend. tradidit, relicta ſunto.

§. 25. Quod *Locum* legendi Acta concernit, optimum illum eſſe puto, qui quam maximè à ſtrepitu hominum, imò, & in ipſis Referend. ædibus, à frequentiori Domeſticorum converſatione remotus: nec enim uxori, nec liberis, nec ulli ex Familiâ alii, ne dum extraneo conſtare debet, quod Acta referendi gratiâ ſecum habeat, ne hoc ſecreto ad Partes emanante, vis Juſtitiæ ab illis elidatur.

§. 26.

§. 26. Quamvis nunc autem Referend. ſi ſecundum præſcriptos aut alios etiam, quos ſua cuilibet dexteritas ſuggerit, modos, Acta curioſè perlegendo examinaverit, nullo jam negotio, ſi aliquid duntaxat ſalis habeat ex ACTIS promiſcue omnibus REFERRE poſſit, quippe cum idem ferè Ordo, quem in legendo præſcripſi, in referendo quoque veniat obſervandus, ſeorſim tamen, ſed breviter, *referendi* qvoque *modum* ſubnotabo.

§. 27. Scilicet primam ipſius circa *Relationem*, tam civilium quam criminalium Actorum curam eſſe oportet, ut *facti* ſeu *cauſæ controverſæ ſpeciem*, recenſitis ſingulis quæ Acta produnt circumſtantiis, repetitâ itidem primâ, quatenus ex Actis illa patescit, ipſius causâ atque origine; breviter quidem, ſed tamen dilucidè enarret, unâque competentem *pro tali caſu* Actionem, ſimul cum ſuis requiſitis, exponat.

§. 28. Tum primò omnium *ad Formalia proceſſus* ſe convertens, ſiquid, ſive circa *præparatoria litis*, ſive circa *ipſum Proceſſum*, ſive denique *concluſionem in causâ*, peccatum fuerit, proferat. Mox ad ejusdem *Materialia* ſive *merita cauſſæ* reverſus, quibus modis, ſive Legibus, ſive rationibus, ſive aliis per Teſtium Inſtrumentorumque fidem, rectè peractis Probationibus &c. Partes ſuas intentiones utrinque adſtruxerint, candidè referat: ſequeſtratis per omnem Relationem, cunctis illis, quæ vel Interlocutoriis jam deciſa (modo ne cauſſæ continentia aliud ſvadeat) vel à Partibus, ipſarumve Patronis nihil prorſus ad cauſſam, niſi ad eandem colorandam, Judicemque dubium reddendum facientia, callide ſolent admiſceri.

§. 29. Sic tandem gravisſima officii, quod Referend. ſuſtinet, pars prodit, quæ in SENTENTIA rectè CONCIPIENDA atque in Judicio unà cum rationibus dubitandi, ac decidendi, proferendâ verſatur. Ponderatis itaque ſecundum jam præfinitos tramites ſingulis, nullam aliam Referend. ſententiam concipiat, quam quæ ſecundum conſcientiam, ex Actis atque Probatis, nec non Legibus, ſive ſingularibus, ſive communibus, ipſarumque in foro contradictorio dictatis præjudiciis, ſtatutis atque moribus cujuscunque loci, & ſi illa omnia deficiunt, receptio-

rum

rum Dd. adſertis probe inſtructam, ſit conformata. Et hoc quidem ita *generaliter*.

§. 30. *Specialius* verò, & ſive *in Jure*, ſive *in facto* cauſſa controverſa ventiletur, Referend. attendat, *an illa Lege aliquâ deciſa ſit, aut non deciſa. Priori caſu*, iterum advertat, an deciſio cauſſæ lege ita clara ſit expreſſa, ut nec plus, nec minus ſit in lege, quam in cauſſa: an verò lex ad cauſſam ita ſe habeat, ut longe vel plus, vel minus ſit in cauſſa, quam in lege, adeo, ut ſi tali cauſſæ legis deciſio eſſet applicanda, iſta foret iniquisſima, *Poſteriori caſu*, & ubi cauſſa deciſa non eſt, tunc obſervet, an illa legibus plane ſit incognita, an ſimiles iſti aliæ in illis appareant. De *ſingulis ſingulariter*.

§. 31. Si itaque cauſſa lege deciſa extat, illaque lex cauſſæ applicata, æqualiter ipſi reſpondeat, ita, ut nec plus nec minus ſit in cauſſâ, quam in lege, licet iſta dura videatur, nihilominus tamen Referend. ſecundum ipſam, non tam *rigorem* i. e. inhumanam ex cortice verborum interpretationem, quam *æquitatem* i. e. vim ac poteſtatem menti Legislatoris congruam ſecutus, cauſſam omnem intrepidè decidat omni illâ ſuperſtitiosâ, quæque ex affectatâ quâdam, & in Referend. omnibus modis damnandâ opinionum ſingularitate exiſtit, ſcrupuloſæ mentis conſcientiâ ſive (rectius ita dixeris) phantaſiâ poſthabitâ. Sane non deciſoria, ſed diſceptatoria, & proinde vere fruſtratoria noſtra erunt Judicia, ſi pro illâ, quam ſibi quisque fortè imaginatur conſcientia, de legum latarum æquitate *diſputare*, non verò juxta illas *judicare* placeat.

§. 32. Aſt, ſi poſt legis ad cauſſam applicationem, plus, aut minus in cauſâ, quam in lege eſſe, adeoque deciſionem ipſius hoc in caſu iniquisſimam fore deprehendat, tunc examinatis accuratè circumſtantiis, indagatâque ſolicitè legis mente, an ſcilicet illa vel ampliationem, vel reſtrictionem admittat, factâ quoque aliarum Legum collatione, pro ſuâ religione Referend. præprimis *ſide facto* controverſia, ex æquitate vel *molliat* duritiem legis, vel ipſius *favorem extendat*. Quod ſi verò neque hac ratione, nec ſibi, nec illis, quibus ſuam exponit ſententiam ſatisfaciat,

faciat, vel ſecundum vulgarem Praxin, ad certam aliquod Dd. Collegium, vel ſuperius Judicium, aut ſi hoc quoque deficiat, ſive ad Majeſtatem, ſive ad illum, qui iſtam repræſentat, pro interpretatione legis, cauſſæque deciſione, res omnis erit *referenda*.

§. 33. Qualem *ad Majeſtatem* inſtitutam *Relationem*, contra quorundam ſententiam, qui inter controverſias *Juris* atque *facti*, hujusque iterum vel leviores, vel graviores quæſtiones haut diſtinguentes, illam Jure noviſſimo per Juſtinianum plane ſublatam contendunt, inprimis tunc habere locum exiſtimo, ſi propoſita cauſſa nullis omnino ſit definita legibus ipſisque prorſus incognita: modo ne ea usque adeò levicula exiſtat, ut per ſe Judicis arbitrio illius deciſionem relictam eſſe appareat. Tunc enim, vel Jurisdictione, vel Interpretatione defectum legum ſupplere, cauſſamq; cum ſuis collegis Referend. decidere debet. Et hoc multò magis verum in cauſſis etiam gravioribus, quæ licet legib9 expreſſe deciſæ non ſint, ipſis tamen penitus haud ſint incognitæ, ſed in illis ſibi quasdam inveniunt ſimiles. Omninò tamen hîc Referend. obſervandum, ut in ejusmodi caſibus, de quibus ſcriptæ leges haud extant adeoque, in quibus Legis extenſio ab uno caſu ad alium protenditur, magis æquitatem, quam juris apices ſequatur.

§. 34. Et licet hac ratione, principaliter ſecundum leges & conſcientiam ex illis informatam, ſententia concipienda videatur: Interim tamen non minus ſubinde ad Acta & Probata, inprimis in controverſiis *ſuper facto* motis, reſpicere, & ſententiam juxta illa, aut ampliare, aut reſtringere Referend. debet. Sicuti enim iſta omnem *facti ſpeciem*, quæ decidenda venit, verè & propriè conſtituunt atque declarant, ita & apprime ſimul ad illa, tam quoad *materialia*, quam *formalia* circa ſententionandum reflectat, nequid quod dubiam torquere poſſit conſcientiam, ſibi relinquat.

§. 35. Quod verò *Præjudicia* in foro controverſo dictata: *Auctoritatemq́, receptiorum Dd.* in ſententiis concipiendis etiam Referend. ubi leges deficiunt, ſequi poſſe, ſupra dixerim, id ſobriè intellectum volo. Nam, quoad *præjudicia*, non ſolum,

minimâ

minimâ quoque circumſtantiâ non obſervatâ, interdum etiam *Rotam*, quod dici ſvevit, *rotare* videmus: ſed & ipſe Juſtinianus graviter monet, *neminem Judicem, neque conſultationes, neque ſententias cujuscunq; etiam maximi Magiſtratus, quas malè judicatas eſſe putaverit, ſed veritatem & legum & Juſtitiæ, quemlibet ſequi debere, nec enim, ſi quid non benè dirimatur etiam in aliorum Judicum vitium extendi oportere, cum non exemplis, ſed legibus ſit judicandum.* Quod verò *receptiorem Dd. auctoritatem* attinet, cum illi ut plurimum, ſe invicem, ut grus gruem, ſequi ſoleant, Referend. attendat, non quot numero dicant, ſed quibus rationibus. Facta melius probantur per plures, non Jura; & ſæpè deterioris cujusdam Doct. ſententia, multas & majores, pondere rationes ſuperavit, ut cordatè monet iterum Juſtinianus.

§. 36. Ipſa porrò *Sententia*, quantum id cauſſæ ratio permittit, ſuccinctâ conſtet brevitate: ſed tamen verbis claris atque perſpicuis. Certa quoque ſit, vel Condemnatoria, vel Abſolutoria, licet talia verba in ipſa ſimpliciter haud requirantur, ſed æquipollentia ſufficiant. Eadem *regulariter* conformis eſto libello, licet id eodem ſemper modo, in omnibus promiſcuè causſis ſervari nequeat; ut ecce, qui hodie ex capite Injuriarum, alteriusve malitatis ſibi illatæ litigant, tales injurias atque damna immodicâ æſtimare ſolent ſummâ, ut modicam ferant: adeoque hic non tam quid à Partibus petitum, quam quid publica utilitas, vel ipſa, circa cauſſæ circumſtantias conditionemque læſi & lædentis, æquitas permittit, Referend. attendere debet.

§. 37. Non minus autem *de cauſſa principali* rectè per ſententiam decidendâ Referend. ſolicitus eſſe debet: quàm quoq; *de Expenſis*, ſive *ob proceſſus retardationem* Parti innocenti, ſive *ob cauſſæ victoriam* Parti vincenti, præviâ ipſarum taxatione, præſtitoque deſuper vincentii Juramento, vel adjudicandis, vel inter Partes, gravibus arbitrioque Judicantium relictis rationibus, mutuò compenſandis: nec enim hæc certis includi poſſunt regulis; conſulantur tamen Dd. Practici, hanc Expenſarum ſive adjudicationem, ſive compenſationem ubertim tractantes, Inte-

tim hoc ſaltem non poſſum non monere, mihi illum circa Expenſarum taxationem atque adjudicationem alicubi obſervatum perplacere modum, quo ad evitandam vel juramentorum, vel etiam perjuriorum frequentiam aut facilitatem, conſignatas à Parte vincente expenſas, pro ſuo arbitrio, ex bono & æquo, Judex aut Referend. ita taxat, prout ab Iſtâ illas, vel re ipſa erogatas, vel debite erogandas fuiſſe exiſtimet: hoc fine, ut Pars victa vincenti, etiam absque Juramento, ita judicaliter taxatas expenſas refundere per ſententiam condemnetur.

§. 38. Et hunc tam *Referendi*, quam *ſententias concipiendi* modum tum circa *civilium*, tum *criminalium* cauſſarum Acta Referend. rectè obſervabit, niſi quod circa cauſſas criminales, ſecundum propriam ſingularemque interdum in iis procedendi rationem, pro cujusvis dexteritate, quædam fuerint varianda. Sic verbi cauſſâ, circa ſententionandum *in criminal.* ſemper Referend. & circumſpectior & propenſior ad moderatam lenitatem, quam moroſam aſperitatem eſſe debet, quippe cum longe conſultius ſit, tam in externo Politiæ, quam in interno Conſcientiæ foro, miſericordiæ, quam crudelitatis reddere rationem: ſic quoque, qui ex officio publicè de mandato, aliquem criminaliter convenerint, & in cauſa ſuccubuerint, in expenſas Parti vincenti, modo abfuerit calumnia, non condemnantur &c. verum plura ejusmodi ſingularia, licet lubentiâ ipsâ lubentior vellem, hîc acervare haud poſſum.

TITULUS IV.

Quænam Referend. *in ſpecie*, circa Actorum civilium pariter & criminalium, ab inferiori, ad ſuperiorem Inſtantiam per Appellationem devolutorum, imò & in hac ipsâ de novo ventilatorum, Lectionem, relationem, ſententiæque inferioris inſtantiæ, vel reformationem, vel approbationem ſint obſervanda.

§. 1. Si.

§. 1. Si Referend. circa *Acta primâ Inſtantiâ* rectè poſſit ſuo munere fungi, vix erit, quin idem circa *Acta ſecunda ulterioriùve* Inſtantiæ facere poſſit. Par enim ferè ordo in quâlibet promiſcuè Inſtantiâ obſervandus eſt.

§. 2. Nam quoad *Lectionem actorum in ſuperiori Inſtantia*, concedo quidem Referend. non ſolùm, ut à Sententiâ inferioris Inſtantiæ (quippe cum ad illam per omnem deinde Lectionem, Relationem Sententiæque ipſius vel reformationem, vel approbationem ſit reſpiciendum) ſed & ut ab illâ Actorum parte lectionis initium faciat, quæ *formalia ritè introducendæ atque proſequendæ appellationis* continet, ut ſcilicet cognoſcat, an ſuperioris Inſtantiæ, ad quam provocatum, Jurisdictio ſit fundata, nec ne: Verùm, ubi iſta rectè ſe habere adverterit, tum non minus, ac in primâ Inſtantia, Acta à capite ad calcem evolvenda, ſecundum iſtum ordinem, quem antè notavi, examinanda, *& Relatio* ex illis ritè inſtituenda. Niſi forſan ex his quædam ita ſe habeant, ut jam tum vel per Partium conventiones compoſita, vel per Judicis inferioris Inſtantiæ Sententias fuerint deciſa. Sicuti, enim illâ tantâ cum curâ, niſi connexio cauſſæ aliud exigat, perlegere non tenetur, ac reliqua, circa quæ Pars Appellans ſe gravatam eſſe contendit, ita quoque ad eadem exactè referenda præciſe obligatus haud eſt: ſed ſufficit obiter monuiſſe, talia quidem puncta inter partes olim fuiſſe controverſa, ſed jam eſſe ſopita.

§. 3. Et ita quidem circa lectionem ac Relationem Actorum, quæ tam *in Civilibus*, quàm *Criminalibus cauſſis* ab inferiori Inſtantia ad ſuperiorem per appellationem devoluta ſunt, ſeſe gerat Referend. Circa illa verò, quæ de novo in ſuperiori Inſtantia nunc demum diſceptata, non minus ac circa Acta inferioris Inſtant. primò quidem *ad Judicantium*, poſt *ad Litigantium* perſonas ipſarumque *legitimationem*, tum denique *ad formalia & materialia proceſſus appellativi*, ſive illa *ipſius præparatoria*, ſive *progreſſum*, ſive denique *concluſionem* concernunt, proque diverſis Curiis diverſimodè peraguntur, tum legendo, tum referendo, curioſè attendat.

 §. 4. In-

§. 4. Inprimis Referend. curæ ſint *gravamina Partis provocantis*, adeoque juxta jam ante traditam legum, rationum, probationumque, ſive jam tum in inferiori, ſive, *idque potiſſimùm*, in ſuperiori Inſtantiâ nunc demum de novo productarum applicationem ad iſta, diligenti examine ſcrutetur, quatenus propter talia *gravamina*, inferioris Inſtantiæ ſententia, vel ex toto, vel ex parte aut reformanda ſit, aut approbanda. Etenim, ſi *nihil quid quam novi* in ſuperiori Inſtantia prolatum; ſed eadem tantum ipſa, quæ jam ante in Inferiori Inſtantia, inter partes controverſa ac ſopita fuerint, protrahendæ litis, ut plurimum, cauſſa, reſuſcitata videat, & inter legendum & referendum impunè hæc negligere poteſt.

§. 5. Apprimè autem Referend. circa ſententionandum in ſuperiori Inſtantiâ caveat, ne inferioris Inſtantiæ ſententiis, quæ jam vires rei Judicatæ complexæ ſint, contrarietur: ſed illam ſaltem, à quâ appellatio interpoſita, prout cauſſæ Juſtitiæve id ratio permittit, vel ex toto, vel ex parte; vel approbet, vel reformet: expenſarum quoque, quatenus illæ circa *proceſſum appellativum* factæ, habita ratione: ita quidem, ut ſi appellatus cauſſa cadat, expenſitæ ſint compenſandæ: Si autem appellatus obtineat, & appellans ſuccumbat, aut ſi appellans appellationem contumaciter deſerat, indiſtinctè ſive Victori, ſive parti appellatæ, non contumaci, omnes veniant expenſæ adjudicandæ &c.

§. 6. Tandem Coronidis loco quærere lubet, ſi forſan alterutra litigantium pars, nec appellationis, nec cujuscumq; alterius juris beneficium ſibi ſupereſſe videat, enormiter tamen per ſententiam ſe læſam exiſtimans, *ad Dei tribunal appellaret*; an Gottes Gericht / oder ins Thal Joſaphat provocirte; an tunc Acta *de novo* relegenda ſit ac referenda? Planè cum quidam Dd. ejusmodi appellationem ſubtilem eſſe ſuperſtitionem, ipſamque arbitraria pœna dignam contendant; quid ad hanc quæſtionem reponi poſſit, cuilibet eſt obvium.

§. 7. Ego tamen omnino hic diſtinguendum puto: Nimirum, ſi Referend. aut Judex nullum penitus dubium de ſententiæ